

deliquim. Et cur sola Maria stabat immota, & infracta, cum totus orbis Christi Passione commoveretur? Caelum obducitur nubibus, sol tenebris obfuscatur, terra concutitur, mare fremmit, uniuersaque creatura deliquim patitur, & sola Maria Virgo stat & permanet inconcussa. Eleganter respondet p'v'us Ambrosius Epitola 28, circa finem. Maria ait, nec minor quam Matrem Christi deiebat, fugientibus Apostolis ante crucem stabat, & piis spectabat oculis filii vulnera. Quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem: aut fortasse quia cognoverat per filii mortem mundi redemptionem, aula regalis etiam sua morte putabat, se aliquid publico adiutorum muneris. Elegantissima verba. Mundus totus turbatur, uniuersa concutitur creatura, & sola Maria stat, Quia expectabat mundi salutem. Ergo in illa turbatione uniuersali creaturarum Maria sola constanti animo stabat, quia hominum coadiuabat, & deprecabatur redemptionem, ut Redemptoris mater divino munimine praeventa est, ut hominum causas ageret, ut omnium mediatrix, ac reconciliatrix cum Deo.

D. Ambr.

In omnium conturbatio- ne Maria ex diuino spiramine est ut omnium reconciliatrix.

36.

Exord. 27.

D. Amad.

Idiota

Maria propitiatorum ad reconciliandum Deum hominibus.

Apoc 4 n. 4. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores sedentes circumamicti vestimentis

albis, & in capitibus eorum coronae aureae.

VERSIONES.

Syrus. Circumquaque thronum, &c. amicti vestibus albis, & super capita ipsorum corona aurea.

Tygar. Vatabl. Super sedilia vidi viginti quatuor seniores amictos stolis albis.

Arabic. Gestantes super se vestimentum album, & super capita sua coronas aureas.

Pagnin. Habebant in capitibus suis coronas aureas.

EXPOSITIO IV.

ET in circuitu sedis sedilia viginti quatuor; quae cingebant Dei thronum instar semicirculi, non in quadrum, sed in circuitu eius posita, ita ut omnes aequaliter participarent diuinam maiestatem: Et super thronos viginti quatuor seniores. Fit allusio ad Principes Ecclesiae in utroque testamento; in veteri ad Principes duodecim Tribuum; & in nouo ad duodecim Apostolos; & sub his, omnes alii intelliguntur, ut latius dicam infra q. 13. ex utroque enim testamento senatus Ecclesiae triumphantis constituitur. Vocantur autem seniores ob eorum antiquitatem, gravitatem, sapientiam, ac virtutis excellentiam.

Circumamicti vestimentis albis; quae sunt notae, ac indices innocentiae, puritatis, ac gloriae sanctorum; Et in capitibus eorum coronae aureae, quae sunt signa victoriae, triumphus, & regiae maiestatis; omnes enim sunt Reges simul cum Christo regnantes. Coronae autem sunt aureae ut regni illius denotetur excellentia, ac praestantia, aeternaeque gloriae opulenta retributio.

QUESTIO XII.

Quae, & qualia erant haec sedilia in circuitu throni Dei.

IN circuitu throni, Dei qui erant valde supereminentes, etiam erant alia inferiora sedilia, quae etiam veluti tanquam throni erant, cum Deus apparet in throno, etiam sui thronos tenent; & erant in circuitu, ut dicitur in textu, & non in quadro, ut omnes ex aequo participes ferent diuinam maiestatis. Et aduertit, quod Christus Dominus pollicetur est suis Apostolus duodecim sedes Matth. 19. n. 28. nunc vero parat viginti quatuor thronos, semper plus exhibet quam pollicetur.

Valde mirum quod describatur, qualisve esset vestis

Marth. 120. Per plus dat quam pollicetur. 90.

Qualis materia sedilium.

Dan. 7.

3. Reg. 10.

A meritis condecorantur sedes,

Cant. 3.

Cant. 5. Gillibert.

91.

Rabb.

In meditatione, ac lectione sacrorum librorum requies nostra.

D. Ambr.

62. Ecclesia contra haereticos S. Scriptura defenditur.

D. Ambr.

vestis horum seniorum nempe alba; quales coronae scilicet aureae referantur, nil tamen de materia throni declaratur, cur haec non exprimitur, sicut alias solet fieri; nam de antiquo dierum habetur Dan. 7. n. 9. Thronus enim flamma ignis. Sic & de Salomone dicitur thronus ejus, Reg. 10. n. 18. de ebore antiquo. Cur ergo seniorum thronus ex quali materia esset fabricatus, non exprimitur. Eorum coronae aureae referuntur per quas eorum merita significantur, ut testantur Ansbertus, Glossa, Lyranus, & alii, ut inf. a dicam, cum merita essent aurea, aureos thronos reddiderunt, ab aureis meritis, aurea throni materia habetur, & declaratur; magni illius feruli Salomonis reclinatorium aureum. Cant. 3. n. 9. & unde hoc reclinatorium habuit; quod esset aureum. De diuino sponso dicitur: Caput eius aurum optimum, Cant. 5. n. 11 ubi Gillibert, ser. 18. in Cantic. Caput tuum aurum optimum reclinatorium aureum non inuenit, sed redidit, ubi se reclinat. Reclinatorium aureum non erat, sed ubi attigit caput Christi meritis aureum. statim sic sublimatur, ut totum fiat aureum: a reclinante sic sublimatur, ut totus ex auro fulgeat.

Circa haec sedilia sensum moralem perscrutemur. Et primò D. Ambrosius nomine 24. seniorum intelligit Patres veteris testamenti designari, per sedilia verò 24. interpretatur 24. libros Veteris Testamenti iuxta numerum litterarum, quae in alphabeto Hebraico continentur, sunt 24. ut numerant R. Abenelia, & R. David; sed libri Veteris Testamenti, multa & magnaenerationis sunt, ut potius super capita ponendi, quam quod in eis quis sedeat: Sedere autem hic sumitur pro requiescere, quando enim quis multo labore fatigatur ad quietandum sedet. Dicuntur ergo seniores, seu Patres antiqui, in his sedilibus 24. seu 24. libri sedere, quia in lectione, ac meditatione librorum sacrae Scripturae, Patres illi requiescebant ac in illis recreationem aut levamen habebant. D. Ambr. Quando sedimus, ait, a labore quiescimus: per sedilia viginti quatuor libri 24. Veteris Testamenti designantur: superigitur 24. thronos 24. seniores sedisse visum; quia Patres Veteris Testamenti a laboribus, & curis hujus saeculi, in lectione, & meditatione diuinorum quodammodo quiescebant.

Secundò, haec sedilia, 24. erant in circuitu sedis Dei. Per hanc sedem Dei Aureolus, & alii multi interpretantur Ecclesiam Dei; cur ergo illa sedilia 24. erant in circuitu, & undique cingant ipsam sedem Dei, seu ejus Ecclesiam? Merito quidem sedilia 24. sunt 24. libri Veteris Testamenti, qui hanc sedem ambiunt, eam fortiter munientes, quia horum librorum munimen Ecclesia a suis hostibus, haereticis nempe defenditur, ac protegitur. D. Ambr. ibidem Quisquis Paterfamilias, ait, qui domum suam tutam a latronibus, & inimicis esse desiderat, hanc aut muro, aut sepe, aut pariete circumdat: similiter & contra haereticos, & contra peccatores qui fidem Christi in ea d. jicere volunt; Veteris Testamenti libris munitur: quia quando ea, quae coluntur ante aduentum Christi, fuisse praedicta probas; jacula inimicorum fidem Christi evertit: cupiunt enim longe a se repellit.

Hoc posito merito dubitabis, cur in Cantic. Cant. 3. n. 7. Et lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israeli, omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi: unum cuiusque Sylveira in Apocalypsim. Tom. 1.

ensis super femur suum. Ecce pro custodia lecti Salomonis sexaginta ponuntur iuvenes, & hi maxime fortes, armati, & periti in bello; At nunc in Apocalypsi pro custodia sedis Dei, ejus nempe Ecclesiae viginti quatuor tantum senes assignantur; & qualis haec a senibus custodia? quale hoc Ecclesiae munimen? Magnum facit omnimodo: Nam in iis senibus ostenditur Dei verbum in veteribus Prophetis, in librisque antiqui testamenti; quod Ecclesiae omni alio validius est munimen, omne fortissimorum juvenum robur longe superans. De viro justo canit David Psal. 47. n. 31. Lingua ejus loquetur iudicium, lex Dei ejus in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus ejus. Ad quae verba sic ait D. Aug. Lingua ejus loquetur iudicium, lex Dei in corde ipsius. Et quid illi prodest; & non supplantabuntur gressus: Liberat a laqueo verbum Dei in corde; liberat a lapsu verbum Dei in corde. Tecum est ejus verbum, a te non recedit. Verbum Dei defendit nos ab omni malo incursum.

Tertio, Aetatas sic ait, sedem hoc loco nihil aliud accipere oportet, quam studium erga diuinorum praceptorum operationem. Sed quid commune habet sedes cum Diuinis mandatis obtemperante? Multum per omnem modum. Primò, quia sedes est ad requiem, & tunc sancti requiescunt quando pro Deo laborant, ac ejus mandata exequuntur. Secundò, quia sedes omnibus in ea sedentibus subjicitur, sic & subjicitur qui alterius suscipit mandata ei obediturus. Tertio, iusti sedes Dei vocantur, cum studiosè diuina mandata adimplent, ac perficiunt; perfectus obediens, Dei thronus est D. Gregor. lib. 4. Expositionis in cap. 9. lib. 1. Regum, S. let enim hoc modo, nempe obtemperando Diuinis mandatis preparata anima, diuinum est vehiculum, quemadmodum & ipsa Cherubim.

Quartò, Richard. Victorin. Sedilia, ait, sunt merita, & ita perfecti super sedilia singulariter sedere dicuntur, quia & in presenti Ecclesia, quando praesens vita regitur, & in ultimo iudicio secundum sua merita sedem iudicandae cum iudice ipso disponente sortiuntur. Ecce juxta supremum Dominum sedilia viginti quatuor parantur, ut totidem reges super se excipiant, sed cur prius ostenduntur, ac commemorantur sedilia quam reges; Vide quod ait cit. Doctor. Sedilia sunt merita, & ob quae unusquisque suum locum obtinebit in iudicio; in regno enim caelorum sola merita, & non personae thronos, ac dignitates exhibent, ut inde vere Reges appareant, verique magnates, cum in eis tam praecleara merita fulgeant, & resplendeant; dignitas cum meritis honorifica est, sine illis verò faeda, & indecora, & ignominiam generat.

Magno fervore, ac spiritu clamat Ieremias 2. n. 12. Obstupescite caeli super hoc, & porta ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquae vivae, & foderunt sibi cisternas. Multum sane mirandum, cur caelum, cur caelum contremiscat, & Israelitarum videns idololatiam, cum inde potius maxime debebat gaudere, & laetari, quandoquidem ipsi caelis daturus diuinus cultus, vero Deo denegatus, Ierem. 7. n. 18. U. faciant placemias Regna caeli. Et cap. 19. n. 13. Sacrificauerunt misera caeli. Cur ergo caeli sic pavore, ac tremore contremiscant, & stupent, ex tali honore diuino delato a creatura rationali B b nali

Sacra Scriptura, seu verbum Dei nos liberat, ac defendit ab omni malo.

Psal. 36.

D. Aug.

94. Aetatas.

Obediens Dei sedes.

D. Greg.

95. Richard.

Dignitas cum meritis honorifica.

96. Ierem. 22.

Ierem. 7.

Ierem. 12.

